

DE
**ULCERE VENTRICULI CHRONICO
PERFORANTE.**

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA
UNIVERSITATE LITERARIA TURICENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XXI MENSIS MAII A. MDCCCXLVI
PUBLICAE DEFENSURUS EST
AUCTOR
R. GASPAR ORELLI,
TURICENSIS.

TURICI
EX OFFICINA ORELLII, FUSSLINI ET SOC.
1846.

CARISSIMIS SUIS AMICIS

ET

COMMILITONIBUS

IACOBO STRÄHLER

MEDICINÆ CANDIDATO

ATQUE

FREDERICO EBERHARD

MEDICINÆ STUDIOSO

HUNC LIBELLUM

D.D.D.

AUCTOR.

CHARLES S. JONES

OF

COMMITTEES

JACOB STRANDED

RECENT CANDIDATE

1892

FREDERICK BERNARD

RECENT CANDIDATE

1892

D.D.

1892

De ulcere ventriculi chronico perforante.

Per multis rebus noxiis ventriculus vexatur. Prout aliquapiam ex telis, quae illum conformant, prae ceteris laborat, status morbosus varius conspicitur. Functionum ventriculi perturbationes, undecunque oriantur, ob intimam ejus cum organismo universali conjunctionem rarissime effectui noxio carent: Jam aetas, sexus, individualitas, vitae ratio etc. ad varios hujus organi morbos praedisponit. Annis infantilibus acidi major copia in ventriculo accumulatur, unde digestionis turbatio, vomitus, gastritis, gastromalacia etc. proficiscitur. Aetate provecta tunica mucosa ventriculi aliorum processuum morborum producta colligit, e. gr. dyscrasiam arthriticam, haemorrhoidalem, carcinomatosam. Ciborum etiam potuumque et quantitas et qualitas variam in ventriculum vim perniciosam exserere potest. Quoad sexum quamquam experientia cognitum est, viros pariter ac feminas malis gastricis affligi, tamen uterque sexus nunc modo ad hanc, modo ad illam morbi formam se inclinat. Homines irritabiles, molles, simplici cibo adsueti morbis gastricis saepius sunt obnoxii, quam ii, quorum patiens irritamentorum est ventriculus. Sed longum est, omnes singulas formas gastropathiae e momentis praedisponentibus supra dictis oriunda accuratius hic describere.

Diligentius quae considerentur, digna esse mihi videntur illa ventriculi mala ulcerosa, quae, quamvis adesse ea nullo plane symptomate morbozo insigni indicetur, tamen nequaquam raro deprehendi constat. Interdum ulcera adhuc existentia et jamjam cicatricibus obducta in cadaveribus hominum qui de nulla unquam hujusce organi molestia vivi questi sunt, inveniuntur. Saepius vero ventriculi status morbosus pluribus symptomatibus propriis plus minusve gravibus, conspicitur.

Omissis ceteris desorganisationibus ulcerosis (ulcere folliculoso, calloso, fungoso, tuberculoso, cancroso) tantummodo de rotundo ventriculi ulcere, praecipue de ejus signis diagnosticis, aetiologia et therapia agere nobis liceat.

Characteres anatomici. Ulcus ventriculi rotundum (l'ulcère simple chronique de l'estomac *Cruveilhier*) quod Rokitansky propter proclivitatem ad perforationem parietum ventriculi *perforans* dicit, voluntaria substantiae jactura singulorum locorum ventriculi cernitur. Forma ejus plerumque circularis est vel ovalis, raro autem jam primordio irregularis. Formae irregularitas congressu et confluxu plurium ulcerum effici solet. Ulceris margines in partibus vicinis crassiores sunt, torosi et saepe injecti. Ulcus intus inspectum infundibuli formam refert, quod substantiae tunicae mucosae jactura maxima est, extra vero minuitur. Fundus est subcanus, nonnunquam materia fuliginosa obductus et vasorum orificia aperta vel oblitterata ostendens. Ulcus quamquam plerumque est unum, tamen saepe duo vel tria, interdum adeo plura propius sibi sita inveniuntur. Rotundum ventriculi ulcus sedem suam plerumque in parte pylorica et praesertim quidem in posteriori pariete et

in vicinitate minoris curvaturae vel in ea ipsa habet. Si in pyloro est, formam annuli circularis refert. Diameter differt ab aliquot lineis usque ad pollicem unum vel plures. Ulcus secundum faciem, praecipue autem in profundum diffunditur. Si malum ad perforationem protractum est, in loco aliquo parietis ventriculi foramen circulare est 3—6'' patens, cujus margo peritonealis acutior est, quasi instrumento illo, quod dicimus *Loch-eisen*, factum esset, cujus aditus intrinsecus majorem usque peripheriam ostendit. Contenta ventriculi in cavum abdominis effluxerunt. Attamen non semper, cunctis membranarum ventriculi stratis perforatis, contentis exitus in cavum peritoneaei patet. Interdum enim, irritatione diutius durante, a parte interiori ulceris sedi respondens inflammatio adhaesiva in seroso ventriculi integumento orta est, unde adhaesiones ad organa vicina ad omentum majus, sinistrum hepatis lobum, lienem, colon, pancreas, diaphragma, etc. factae sunt. Sed in longum tales adhaesiones processum exulcerationis et impetum contentorum stomachi sustinere non valent et ipsae inflammatione ulcerosa corripuntur, emolliuntur et dilacerantur. Non nisi adhaesione per massam densiorem, fibro-cartilagosam, quominus ventriculus perforetur, in longum prohiberi potest.

Symptomata morbi. Comparantibus nobis ea, quae varii scriptores de chronico ventriculi ulcere rettulerunt, quoad symptomata ab iis constituta morbosa ante perforationem factam haecce sibi congrua cognoscuntur. Aegroti dolorem hebetem, interdum valde alacrem in regione epigastrica vel in hypochondrio sinistro, sub processu xyphoideo, in medio sterno vel in parte aliqua columnae vertebralis inter scapulas sita sentiunt. Qui

quidem dolor quoad modum, temporis spatium et vehementiam diversus, rodens, premens, tendens, urens, contrahens, saepius nonnisi post coenam orditur et durare solet, donec digestio est perfecta. Nonnunquam vero pluries per diem, rarius noctu repetitur; denique absente e ventriculo omni alimento aegrotos corripit. Hoc dolore symptoma praecipuum morbi cernitur. Cibi appetitus saepe non est turbatus, attamen aliquoties omnino desideratur; interdum bulimus et malacia, interdum ciborum quorundam, praesertim carnis fastidium exoritur. Nonnunquam aegroti a cibis plane abstinent dolorem metuentes, quo postea vexantur. Lingua saepe nihil habet a statu sano alienum, sed pura est et humida; postea demum mucositate obducitur. Nonnunquam autem lingua est aspera, et sensus expers; saepe etiam in margine ulcera parva apparent. Digestio languescit. Alvus plerumque pertinaciter est retardata, qua re paroxysmi augentur et pejores redduntur. Diarrhoeae sunt rarissimae. Longius morbo procedente in casibus paucissimis vomituritio et verus vomitus alimentorum sumptorum vel sanguinis vel liquoris colorem chocolatae habentis deest. Sanguinis vomitum alvi evacuationes cruentae vel colore melaenae proprio conspicuae praegredi solent. Interdum aegroti, stomacho cibis vacante, liquorem clarum, tenacem, albumini ovi similem, sapore carentem vel subacidum evomunt. Symptomata plus minusve constantia sunt dolores in regione frontali ac temporali, vertigo, ructus, pyrosis, flatulentia. Aegrotorum conspectus malum internum gravissimum indicat. Color faciei est pallidus in subflavum transiens, conjunctiva oculi marmoris instar alba, corpus macie torridum. Tristitia insuperabili, magna animi irritabilitate aegroti

affecti esse solent. — Quorum symptomatum omnium modo dictorum etiam perpauca eaque leviora existere possunt, ita ut facile neglecta pro sola turbatione functionis ventriculi, pro dyspepsia habeantur.

Iam si ulcus serius ocius per symptomata morbosa plus minus manifesta ad perforationem omnium membranarum ventriculi provectum et foramen nec tumoribus nec solidis ad vicina organa adhaesionibus obturatum est, a ventriculi contentis in cavum abdominis delapsis celeriter symptomata peritonaeitidis acutae prodeunt, quibus aegrotus duodecim vel triginta sex horis emoritur. Interdum mors iam prius ingruit. Aegroti de horribili dolore a ventriculo per totum corpus cursitante querentes formidine mortis, tremore universali et suffocandi periculo afficiuntur; abdomen est contractum, durum, pressurae prorsus impatiens. Extremitatibus refrigescens, pulsu languescens, brevi vita exstinguitur.

Diagnosis ulceris ventriculi chronici perforantis difficillima redditur eo, quod in eius decursu multa symptomata apparent aliis ventriculi malis persimilia. Inprimis gastritis chronica et cardialgia nervosa huc pertinet. Certum aliquod signum, quo ab hisce morborum formis ventriculi ulcus perforans distingui accurate possit, adhuc haud novimus. *Albers*, qui tria stadia ulceris chronici ventriculi statuit, secundum eorum cum periodicis paroxysmis spasticis incipere dicit. At cardialgia etiam per se sine omni causa in cadavere manifesta existere potest. Indagatione regionis gastricae manu facta, qui sit rei status, non satis comperitur, quoniam individua hysterica (quippe in quibus haec morbi forma saepissime invenitur) pressura modo gravissime afficiuntur, modo

ne minime quidem commoventur. Eo quoque, quod aegroti cardialgia nervosa laborantes, etiamsi haec ipsa iam diutius duravit, speciem non mutant, eorumque corpus non macescit, deinde quod spasmi una aut invicem cum paroxysmis hystericis ingruunt, postremo quod sanguinis vomitus non accedit, certa diagnosis stabiliri nequit. Saepenumero chronicum ventriculi ulcus molestiarum cardialgicarum causam esse tum demum intelligitur, cum simul haematemesis et symptomata peritonacitidis initium tertii stadii indicant.

Eadem via, qua chronicum ventriculi ulcus, etiam scirrhus ventriculi decurrere potest. *Cruveilhier* praecipuum signum diagnosticum eo cerni putat, quod ventriculi ulcus benignis therapiae simplicis viribus et moderata diaeta curari possit, cum scirrhus eadem ratione sanari nequeat. *Andral* chronicum ventriculi ulcus a scirrho ventriculi distingui non posse iudicat, quoad tumor cancosus a parte externa sentiri non possit. Et sane ab initio quidem chronicum ventriculi ulcus a scirrho discerni non potest. Sed morbo ulterius progrediente, auctoribus pluribus exploratoribus, haecce diagnosis adjuvare possunt: Ulceri ventriculi saepius obnoxii sunt homines iuvenili ac florente aetate, at scirrho aetate iam provectiones magis laborant. Quamvis aegrotus chronico ventr. ulcere affectus emacescat et malum internum vultu habituque corporis prodat, tamen idem multo magis fit in aegrotis scirrho ventriculi laborante. Huiusce color faciei est singularis quidam flavus, subluridus. Universus organismus ulcere ventr. multo minus quam scirrho in sympathiam trahitur. Facilior etiam medico diagnosis redditur, si dyscrasia cancosa iam alibi quoque materias cancosas deposuit.

Dolor ulceris ventr. potius est urens, scirrhi vero iaculans, lancinans. Ventriculi extensio ulcere non mutatur, dum scirrho praesente ventriculus saepe dilatatur et demittitur et per tegumenta abdominis tumor durus, circumscriptus deprehenditur. Qui ulcere ventriculi post coenam efficitur vomitus, non est constans et, ubicunque est, aegrotos brevi post sumptos cibos vexat; at scirrho pylori multo frequentius movetur et plerumque tertia quartave post coenam hora, raro autem si stomachus adhuc est iciunus. Haematemesis et cruenta alvus saepe ab ulcere ventriculi proficiscitur; at scirrhus pylori magis vomitum massarum nigrarum, sedimento coffeae similium, interdum cum aliquot partibus pseudoplasmatis mixtarum procreat. Sed nonnunquam haec indicia ad diagnosin statuendam non sufficiunt, praesertim ubi ulcus cum scirrho iunctum est.

Magni denique momenti est illud, quod *Jaksch* monet, symptomata ulcus ventr. chronicum comitantia permutationis cum chlorosi et inchoante tuberculosi pulmonum ansam praebere posse. Qua in re ille momentum diagnosticum eo cerni docet, quod symptomata morbosa ventriculi, ut indigestio, cardialgia, vomitus mucii tenacis, amissio florentis faciei existente ulcere prius, chlorosi autem praesente serius appareant. Dysmenorrhoea in ulcere ventr. aut prorsus deest aut tum demum, quum morbus iam diutius duravit, oboritur. Quod attinet ad permutationem ulceris ventr. cum tuberculosi pulmonum, satis constat, saepe primordio tuberculosis symptomata dyspepsiae, dolorem in regione gastrica, appetitus defectum, vomituritionem etc. observari. Secundum nonnullas observationes, quas *Jaksch* fecit, obductio docuit, illa symptomata a chronico ventr. ulcere

paulo ante tuberculosin vel una cum ea existente dependisse. Eodem auctore simul cum tuberculosi pulmonum vehemens ac pertinax cardialgia tum demum occurrit, ubi perforans ventr. ulcus adest. Inde, quod symptomata a perforatione profecta interdum statim post cibos potusque sumptos exstiterunt et quod ventriculus etiam similes fere mutationes atque post effectum venenorum corrodentium prodidit, nonnunquam intoxicationis suspicio est mota. Symptomata diagnostica vivo aegroto auctore *Canstatt* imprimis haec sunt. Perforationi chronico ulcere factae per longius breviusve temporis spatium symptomata morbosa ventriculi antecesserunt; ante incipientia intoxicationis symptomata aegrotus omnino sanus erat. Post perforationem spontaneam vomitus plerumque desinit, alvus pertinaciter adstricta, sensorium imperturbatum est; perforatione veneno facta vehemens movetur vomitus, dysenterica per intestina evacuatio, sensuum affectio; in massa evo-mita venenum et physica et chemica ratione investigari potest.

Ex omnibus, quae modo de diagnosi perforantis ulceris ventr. dicta sunt, satis liquet, quam pauca symptomata hunc morbum ab aliis ventriculi affectionibus revera distinguentia adhuc sint reperta, ita ut illum adesse multis in casibus tantummodo conici, interdum tamen certa diagnosi explorari possit.

Aetiologia chronici ventr. ulceris adhuc in tenebris iacet. Is morbus nequaquam rarus plerumque homines aetate provectos et saepius quidem feminas quam viros invadit. *Rokitansky* chronicum ventr. ulcus perforans in 79 casibus observavit, scilicet in 46 feminis et in 33 viris; ex illis 16 plus quam 50 annos natae, 30 mi-

nores 30 annis erant; ex his 12 annum 50mum superaverant, 6 nondum triginta et unus ne 16 quidem annos natus erat. *Albers* observationem perforationis ventriculi in infante trium annorum et in altero undecim annorum commemorat. *Jaksch*, (l. c.) cui occasio oblata est tabulas 2330 sectiones cadaverum consignantes perlustrandi, chronicum ventr. ulcus centies octogies septies invenit, 57es quidem in viris et 130es in feminis invenit. Ex toto numero 80 annum 50mum superaverant, 40 minores 30 annorum erant, ergo 67 inter 30mum et 50mum aetatis annum vitam agebant. Vir clarissimus, Professor Dr. *Hasse* summas 624 sectionum ipso adhuc Lipsiae degente factarum in usum meum liberaliter ac benevole mecum communicavit. — Quibus in cadaveribus 624 22es chronicum ventr. ulcus, 69es cicatrices, 11es erosiones haemorrhagicae ergo omnino 102es huiusce generis ulcera reperta sunt, ita ut in senis cadaveribus unus casus observetur. Ulcera in 9 viris et 13 feminis, cicatrices in 15 viris et 54 feminis, erosiones cruentae in 5 viris et 6 feminis inventae sunt, ita ut omnino 29 viri et 73 feminae sint.

Quoad aetatem ac sexum reperta sunt:

a 10mo anno usque ad 20mum	ulcera		cicatrices		cruentae		tota summa
	V.	F.	V.	F.	V.	F.	
» 20—30	—	0	—	0	1	1	bis
» 30—40	1	5	2	6	2	—	bis
» 40—50	1	—	1	3	1	1	bis
» 50—60	3	1	3	7	1	—	semel
» 60—70	2	3	2	7	—	2	bis
» 70—80	—	1	3	14	—	2	bis
» 80—90	—	2	4	12	—	—	0
	9	13	15	54	5	6	11es
		22es		69es			102es.
		2 bis		5es			7es

Quum de victu ac negotiis horum hominum quaeretur, nihil certi compertum est; nam chronicum v. ulcus reperitur quum in iis, qui vitam sedentariam, quietam agebant, tum in iis, qui in negotiis suis gerendis corpus multum agitavere. Inde quidem, quod maior pars aegrotorum e feminis constat, concludi sane potest, constitutiones debiles, praesertim mulieres, ad istum malum esse procliviores; sed eodem etiam robustas feminas iamiam correptas esse novimus. Una cum rotundo v. ulcere inventa est: decies tuberculosis pulm., sexies tuberculosis univers., ter tuberculosis vertebrarum, novies pneumonia, ter pleuritis, bis pleuropneumonia, semel gangraena pulmon., sexies apoplexia cerebri, novies carcinoma uteri, oesophagi, cerebri, coli etc., ter peritonacitis, ter variola, ter catarrhus chronicus, bis typhus, marasmus, encephalomalacia, meningitis, atrophia cerebri, phlebitis. Aliae complicationes, uti cum hydrocephalo senili, hypertrophia et vitio cordis, pericarditide, bronchitide, phlebitide puerperarum, catarrho chron. intestinali etc. semel tantum exstiterunt. — Aequalis erosionum ventriculi apparuit bis tuberculosis pulm., semel tuberculosis univers., bis apoplexia pulmonum, bis typhus. Alii morbi, e. gr. pneumonia, diphtheritis, peritonacitis, syphilis, hydrophobia semel tantum occurrerunt. Inde chronicum v. ulcus et cruentas v. erosiones duodecies cum tuberculosi pulm., septies cum tuberculosi universali, decies cum pneumonia coniunctas uno eodemque tempore repertas esse apparet. Quapropter non facile aliquis potuerit, quin causalem ab altera parte inter morbos pulmonum et tuberculosim, ab altera parte inter chronicum v. ulcus nexum intercedere credat, quamvis eiusdem nexus ratio adhuc explicari nequeat. Plures

observatores, uti *Jaksch*, *Chaussier*, *Laisne*, puerperium huic malo propitium esse opinantur. Ex iis casibus, quos *Jaksch* recensuit, decem ad puerperas pertinent. Ad vim et influxum anni temporum quorundam, pariter atque atmosphaerae animum quidem iamiam adverterunt medici, sed quantum ad malum illum progignendum valeat, observationibus sufficientibus nondum exploraverunt. Ab aliis causae chronicorum v. ulcerum defectus haemorrhagiarum haemorrhoidalium, exanthemata repulsa praecipue repulsa scabies, pedum ulcera siccata, animus depressus, aegritudo, sollicitudo etc. esse traduntur. — Saepenumero malum a gastritide chronica (*Cruv. gastr. folliculosa*) profectum esse videtur, sive ea neglecta diaeta, sive refrigeratione, sive violatione mechanica efficitur. *Langston-Parker* duo praecipue irritationis ventriculi genera huiusce morbi ortum adiuvare censet, scilicet gastritidem partialem in viris et ventriculi affectiones in mulieribus, catameniorum irregularitate, hysteria et chlorosi laborantibus, *Rokitansky* ulcus ex acuta, circumscripta, erosione haemorrhagica oriri dicit, vel et circumscripta tunicae mucosae in crustam degeneratione, qua facta telae in fundo ulceris sitae in crustam mutantur atque exfolientur. Qui substantiae iacturam parietis ventriculi modo commemoratam e solo absorptionis processu deducendam esse censent, sententiam suam argumentis idoneis fulcire vix potuerint.

Perforans ventr. ulcus plerumque chronica via decurrit; ab aliquot mensibus usque ad multos annos pergere potest. Per intervallum cessationes morbi breviores vel longiores fieri possunt, quibus ulcus rebus secundis in modum ulcerum aliorum organorum consanatur. Pro uti ulceratio plus minusve in parietem ventriculi invasit,

etiam cicatricatio varia efficitur. Si substantiae amissio ad solam tunicam mucosam pertinet, tela cellulosa submucosa, uti *Rokitansky* putat, in celluloso-fibrosam condensatur, qua re margines tunicae mucosae ad sese appropinquant, ita ut denique cum iis et cum tunica musculari concretio efficiatur. Cicatrix alba, radiata, stelliformis relinquitur. Uleus etiamsi profundius in tunicam musculosam et usque ad serosum ventriculi tegumentum demittitur, tamen sanari potest. Quod si accidit hoc stadio, cicatrix funis formam habens, pro magnitudine ac sede sua diametrum obliquum ventriculi plus minusve breviorum reddens aut ventriculum annuli instar constringens remanet, qua variae deformationes et turbationes functionis illius efficiuntur. Recidiva huius morbi frequentissima sunt. Etenim dispositione ad morbum permanente, ulcere cicatrice obducto, in eius vicinitate vel loco aliquo a sede prima remotiore unum vel plura nova ulcera nasci quae ipsa etiam rursus sanantur, aut cicatrices, quae exstant, denuo ulcerationis processum subire possunt. Observatum iam quoque est, circum ulcus massas cancrasas esse depositas. *Rokitansky* perversa succi gastrici secretionem, a morbosa tunica mucosa ventriculi progenita, symptomata dyspeptica saepe post factam cicatricem remanentia procreari indeque causam recentis exulcerationis processus petendam esse iudicat. Ex observationibus, quas *Albers* denotavit, in uno casu malum duodecim, in altero undecim annos, in tertio sex menses duravisse comperimus. Idem auctor etiam plurium casuum mentionem iniicit ab aliis medicis relatorum, unde hunc morbum modo per longum modo per breve tempus durare liquet. *Jaksch* virum quendam commemorat e duodeviginti an-

nis symptomatibus perforantis ulceris ventr. laborantem. Cuius mali decursum etiam acutum esse posse, plures casus comprobant, quos *Albers*, *Abercrombie*, *Laisne*, *Chaussier*, *Frei* alique descripsere; at alii formam acutam huc pertinere negant eamque nil esse contendunt nisi suppurationem ab inflammatione traumatica profectam. Neque vero, uti *Albers* monet, omnes ulcerationes e causa aliqua traumatica factae acutum exitum habent. *Cruveilhier* si sedes morbi in pyloro sit, ulcerationem multo celerius processuram et hac in regione saepius quam in quapiam alia finem perforatione capturam esse dicit, propterea, quod pylorus magis quam omnes ceterae ventriculi partes causis irritationis sit obnoxius. Quod attinet ad ulcera cicatricesque uno eodemque tempore cum ulcere v. perforante exstantes e sectionum descriptionibus mihi suppetentibus haec ratio numeralis prodiit: 12es inventum est unum ulcus, quater 2, semel 3 et ter plura, cicatrices 49es singulae, 11es 2, 7es 3 et ter plures simul apparuerunt.

Exituum chronici v. ulceris ratione habita, iam supra commemoravimus, omnibus stadiis cicatricatione intra tunicas ventriculi facta ulcus sanari posse. Nonnunquam etiam ulcus, pariete ventriculi perforato, organa vicina (cf. pag. 7) iam ante adhaesiva inflammatione cum ventriculo concreta invadit, quo facto effluxus contentorum ventriculi in longum protrahi potest. Concrectiones ventriculi cum pancreate et eo facta ulceris obturatio ob primariam ulceris in posteriori ventriculi pariete sedem nequaquam rarae sunt. In casibus enim a me distinctis (pag. 13 et 14) ulcera 8es parietem posteriorem, semel hunc et simul cardiacam, 5es curvaturam minorem, ter pylorum, bis cardiacam, semel curvaturam

maiores, semel fundum, semel partem mediam, denique semel varios locos ventriculi occupabant. Cicatrices 28es in pariete posteriori, 20es in curvatura minori, 7es in medio stomacho, quater in pyloro, quater in fundo, ter in curvatura maiori, ter in parte cardiaca et semel in anteriori pariete ventriculi conspiciebantur. In uno ex iis casibus, quos Cl. Professor *Hasse* collegit, ventriculus concretionem posterioris faciei in duas partes sacciformes divisus ulcus thalero duplo maius continebat, quod altius in pancreatis substantiam et partim etiam in inferiorem lienis finem rodendo penetraverat. *Jaksch* in 15 casibus foramen parietis ventr. pancreate, in 5 casibus hepate, semel mesenterio etc., semel liene obturatum vidit. Concretionem ventriculi cum pancreate et ulceris in pancreas irruptionem etiam *Cruweilhier* describit. Eiusdem generis casus nuperrime in nosocomio Turicensi est observatus. Plures casus memorabiles *Mohr* (*Caspers Wochenschrift* 1842. Nr. 16 u. 17.) enarrat. In primo eorum a sinistra ad latus lineae albae cavum plane seclusum, pseudomembrana intus obductum, liquore foetido, subcano, turbido expletum apparuit, quod per ulcus tantum, quantus est annulus digitalis, circiter digitum transversum sub media curvatura minore cum ventriculo ipso cohaerebat.

Lethalis morbus evadere potest triplici ratione:

1) *peritonaeitide acuta*, perrupto ulcere ventr. perforante et ventriculi contentis in cavum abdominis effusis procreata. Huc pertinet casus aliquis ex iis, qui supra commemorati sunt; in muliere 53 annos nata cunctae membranae anterioris parietis ventriculi prope ad curvaturam minorem ulcere tanto, quantus est semigrossus, erant perforatae.

2) *Haemorrhagia ex ventriculo*, scilicet si ulcus via sua vasi ampliori occurrit eiusque parietes corrodit, aut si parenchyma organorum inflammatione adhaesiva cum stomacho coniunctorum in ulcerationis processum implicatur. In uno casu ex illis, quos supra recensuimus, morbus finitus est lethali ex arteria coronaria ventr. sinistra haemorrhagia, in altero corrosa maiore vena lienali.

3) *Tabes*, quae a doloribus continuis, vehementibus, a dyspepsia et nutritione non sufficiente proficiscitur.

Si cuius permultum interest observationes symptomatum adeo diversorum per decursum ulceris ventr. chronici apparentium aut diligentiores de eo morbo explorationes pathologico-anatomicas colligere, eas multas in operibus scriptorum a me laudatorum conscriptas facile inveniet.

Fundamenta *therapiae* chronici ventr. ulceris revera exstantis eadem fere sunt ac chronicae gastritidis et carcinomatis. Si malum iamiam ab initio potest dignosci, therapia praecipue eo spectare debet, ut sanguinis de- tractiones largae ac frequentiores fiant, quibus factis, antagonisticis est utendum. Aegroto modice est edendum; lac ei est saluberrimum. Per breviora temporis intervalla minus cibi assumere, quam bis tantum vel ter singulis diebus multum edere praestat. Cavendum etiam est quam diligentissime, ne corpus vehementius agitetur. Remediis internis hoc stadio vix opus esse videtur.

Quae tam a medico quam ab aegroto morbo incipiente observanda sunt, eorum ratio multo diligentior habenda est, quum morbus iam longius processit et vera ulcera iamiam exstiterunt. Tum vero medicus summa

ope studeat, ut ulcus cicatrice obducatur. Quemadmodum quies omnino necessaria est ad ulcera in externis corporis partibus sananda, ita ea quoque opus est ad ulcera ventriculi bene curanda. Et ventriculo quidem quies datur diaeta omnino non irritante ac lenissima. Inde etiam tum, quum omni spei, fore ut cicatrix formetur, iam renuntiatum est, tamen id effici potest, ut ventriculus cum organis vicinis concreseat. Attamen munus, quo in oeconomia animali ventriculus fungitur, quoniam vetat eum prorsus quiescere, alimento quam minime irritanti, quod corpori nutriendo suppetat, inveniendū studere medicum oportet. Et saluberrimum quidem huius generis aegrotis est lac recens mulctum, cuius aliquot cochlearia cibaria binis horis vel per intervalla longiora praebenda sunt. Ubi necessarium est, aliqua copia aquae calc. vel Selteranae, aut muco avenaceo diluitur aut saccharo conditur. Saepe lac coctum vel flore nudatum facilius quam naturale, frigidum facilius quam calidum, fervidum facilius quam tepidum ab aegroto fertur. Saepe lacti soda bicarbonica, magnesia vel lapides cancrorum admiscendi sunt. Saepe lacte sumpto ventriculus gravari apparet. Quod si accidit, pro eo iuscula vitulina vel gallinacea, farinae zae, oryzae, avenae, hordei, Arrowroot, fructus solani tuberosi aqua, lacte vel iusculo gallinaceo decocta praebentur. Interdum aegroto alimentum concedi oportet, etiamsi inter dyspepta referendum sit. Omnino, id quod iam *Cruveilhier* iudicat, natura aegroti melius quam omnia praecepta curam moderatur. Idem auctor dehortatur, ne hoc in morbo, sicuti in omnibus malis chronicis, diaeta mitigans diutius perseveretur, propterea quod in decursu huius morbi tempus veniat, quo cibi irritantes, uti caro

ferina, multo magis prosint quam caro avium. — Ars diaetae bonae ac sapientis ope multa symptomata morbum comitantia placare et fortasse adeo sanationem efficere valet. Si epigastrium ardore et dolore, qui premendo augetur et praecipue post coenam oritur, vehementius afficitur, hirudines in regione gastrica identidem applicandae sunt; sed in casibus pertinacibus ad dolorem leniendum necesse est ulcus artificiale, scilicet vesicantibus, ungt. vel emplastro Tartar. stibiat. applicetur. Ceterum huiusce generis irritamentis tum demum medici uti solent, quum dolores epigastrii refugerunt et alvi evacuationes normales cedunt. Vehementioribus paroxysmis cardialgicis opponuntur narcotica, inprimis Morph. muriat. et acet. (p. d. $\frac{1}{12}$ gr.), porro aq. lauroceras. (10—15 gutt. tanta copia lactis dilutae, quantum dimidius catillus capit.). Interdum necesse est, ut Morphio Bismuth. nitric. praecip. (p. d. $\frac{1}{2}$ —1 gr.) admisceatur. Semper multum prodest topica sanguinis detractio praemissa. Vinum quoque adustum leve, aqua dilutum, sedativum praedicant. Alvus obstructa clysterizanda est. Interna remedia, quae cicatricum formationem iuvare dicuntur, haec commendata sunt: argent. nitric., plumb. acet., Bismuth. nitr. praecip., solutio arsenic., hydrargyr., alumen, gummi Kino, borax (p. d. 10 gr.— $\frac{1}{2}$ dr. quotidie in solutione sumpt. *Malden*), ferr. sulph. etc. De prospero plurium horum remediorum successu explorationes accuratiores adhuc desiderantur. Magna denique curae adiumenta sunt balnea tepida (*Cruveilhier* suadente 3—4 horas continuanda) gelatinosa, fomentationes regionis epigastricae, permulsio huius regionis fungo fervida aqua tincto facienda. Simulac pariete maioris alicuius vasis sanguiferi arroso et perforato haemate-

mesis una cum universali vasorum incitatione oritur, illico larga sanguinis copia est detrahenda. Ad contractionem et coaguli sanguinis formationem in apertura vasis sanguinem fundentis efficiendam glacies epigastrio imponitur et in usum internum pilulae glaciales, adstringentia, ut sacchar. Saturni, alumen, gi Kino, Ratanhia, praecipue plumb. acet. (ad gr. $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ singulis vel binis horis) praebentur, sed eorum remediorum non nisi tanta dosis, quanta vomitus denuo moveri nequit; quem in finem etiam cum vehiculis mucosis et oleosis et, ubi necessarium est, sedantibus aq. laurocer., morph. acet., extract. opii aq. coniuncta adhibentur. Haemorrhagia diutius cessante, illa remedia longioribus temporis intervallis dantur, imo postea satis est, aegroti animi pariter ac corporis quiete gaudenti et in atmosphaera frigidiore degenti Serum lact. aluminat. et potum subacidum ex acido phosphorico vel nitrico diluto porrigere. Si aegrotus sanguine amisso lipothymia iam iam est correptus, ante omnia perscrutandum est, an non coagula sanguinis impediunt, quin aër ad pulmones accedat. Remotis deinde, si quae adsunt, sanguinis coagulis, aegrotus ita est collocandus, ut caput inferius iaceat quam truncus, eum in finem, ut sanguis multus in cerebrum confluens functionem cerebri incitet et conscientiam reducat. Ad aegrotum a lipothymia excitandum odoramenta analeptica, frictiones cutis scopis setaceis in aceto vel vino intinctis faciendae et clysmata excitantia plurimum proficiunt. Intus aliquantum Naphthae aceti vel Napht. sulphur. in tenui aromatico infuso vel vinum prodest. Si magna ventriculi irritabilitas, fastidium et vomituritio remanet, parvae doses infus. Belladonnae cum aliqua parte morphii acetici aut acidi

sulphur. praebentur. Ut omnino prohibeatur, quominus haematemesi repetatur, *Jaksch* tinct. ferr. muriat. aut spirit. sulph. aether. martial. (10—15 guttas) ab initio dimidia quaque hora, postremum binis horis commendat. Aegrotus non nisi liquidum eumque parcum assumat cibum, quem aequae ac potum frigidum esse oportet. Paulatim tantum ad nutrimenta solidiora ac fortiora transgredi licet. Alvi excretionem emollientibus clysmatibus addito oleo Ricini vel natr. sulphur. regulares reddi possunt. In therapia post ulcus sanatum instituenda China, Martialia, praecipue ferrum carbonicum, muriaticum et aquae minerales ferrum continentem magnam utilitatem habebunt. *Stockes*, perforatione existente, ut magnae opii doses adhibeantur, suadet. Peritonaeitidi perforatione chronici ulceris ventriculi progeneratae depellendae frustra semper studueris.

Literatura.

- Gérard*, Des perforations spontanées de l'estomac. Par. 803.
Morin, Considérat. gén. sur l'érosion. Par. 806.
Chaussier, in Bull. de la Soc. de Fac. de Méd. 810.
Laisné, Consid. médico-lég. sur les érosions et les perforat.
spont. de l'estomac. Par. 819.
Percy et Laurent, Art. Perforation im Dict. des Sc. méd.
Roux, Quelques considérat. sur les perforations spont. de
l'estomac. Par. 823.
Cruveilhier, in Revue médicale. 838 März et Juli.
Langston - Parker, in Medico-chirurg. Review. 838. Oct.;
Schmid's Jahrb. Bd. XXIII. 33.
Rokitansky, in Oestreich. med. Jahrb. 839. Bd. XVIII.
Albers, in Beobh. auf dem Gebiete d. Path. u. path. Anat.
Bonn 840.
Mohr, in Casper's Wochenschrift 842. Nr. 16 u. 17.
Rokitansky, Handb. d. spec. path. Anat. Bd. III.
Abercrombie, Krankheiten des Magens 843.
Jacksch, in d. Prager Vierteljahrschr. 844.
Canstatt speciell. Path. und Ther. Bd. IV. 2. Abth. 845.
— — Jahresbericht 841.
Frei, in Henle's u. Pfeufer's Zeitschr. für rat. Med. Bd. III.
Hft. 2.
-

Theses defendendae.

- 1) Varia ad vitam servandam nutrimenta necessaria sunt.
 - 2) Alia in viris, alia in feminis morborum dispositio.
 - 3) Therapia simplicissima optima.
 - 4) Tuberculosis et scrophulosis idem.
 - 5) Ad strumam lymphaticam sanandam ligatura semper extirpationi praestat.
 - 6) Vulnera lacera sutura cruenta consanari non possunt.
 - 7) Pulsus cordis infantis auscultatione perceptus unicum est certum graviditatis signum.
 - 8) Pulmonum docimasia in medicina forensi dubia.
-

Theses de medicina

- 1) De significatione nominis necessarii
- 2) De significatione nominis dispensabilis
- 3) De significatione nominis optionis
- 4) De significatione nominis ibidem
- 5) De significatione nominis factoris respectu et
significatione ipsius
- 6) De significatione nominis constantis non permanentis
- 7) De significatione nominis ad relationem perceptivam unum ad
alterum
- 8) De significatione nominis in medicina (proxi) dubia